DEUS ADJUTORIUM MEUM!

In cujus nomine

Permissu ac decreto

Amplissimæ Facultatis Juridicæ

In Academia VVittebergensi

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

De

JURE DOMINII

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilis, Amplissimi ac Consultissimi

DN. MICHAELIS LEDERERI,

J. U. D. Facultatis juridicæ Assessoris


gravissimi

MICHAEL MüLLER Neo-Rupp-March.

PRO LICENTIA

In utroq; Jure summos honores

ac privilegia consequendi



Publico Eruditorum Examini sistit

In Auditorio majori

Horis Ante & Pomeridianis

ad diem ~~Maij~~ 14 Julii

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RöHNERI, Academ. Typogr.

Anno M DC LIX.

Alois von Eyfor



DEUS adjutorium meum!

Παρεργικά.

PAndectæ nobis ſacræ loqvuntur (a) qvod DEUS Optimus Maximus, poſtqvam mundum, qvæq; is continet, condiderat, hominem pro ineffabili ſuâ bonitate in eundem introductum Dominum conſtituerit, adeoq; generaliter jus in res hujus inferioris naturæ ei contulerit; qvod ipſum poſt disſipatas diluvii aqvas denuò eſt factum. (b) Hoc jus, qvo in res creatas homo ex iſtâ Dei concesſione utitur, ſine dubio in naturali ratione fundatur, adeoq; rectæ rationi ac divinæ voluntati eſt congruum, qvia ratio ipſa, qvâ homo ſolus reliquis animantibus antecellit, eſt à Deo. Duo autem omninò fuerunt modi, qvibus iſtud jus in actum potuerunt deducere homines, primo, eundo in proprietatem, ipſamq; ſibi acqvirendo, ſecundo, nudam ex rebus utilitatem percipiendo, proprietate in communi relictâ: poſterior hic placuit maximè primis mortalibus; (c) Ex qvibus apparet, qvod juxta divinæ traditionis formulam primis mortalibus univerſa terra ſimpliciter fuerit ſubjecta, qvi tamèn eâ fuerunt ſimplicitate, ut in commune colligere maluerint; (d) Ex qvo tamèn inferendum non eſt, qvaſi in initio rerum nihil proprii fuerit; qvicquid enim vitæ ac corporis reqvirebat necesſitas, illud utiq; ratione uſus, qvi in rebus fungibilibus in abutendo conſiſtit, in individuo factum eſt proprium: deinde rei immobilis à qvoqvam occupatæ uſus proprius, usq; dum illâ re uteretur, cesſit occupanti. Etenim ſimul atq; qvis re ſemel occupatâ non

amplius utebatur, poterat eam alius in suum usum licitè transferre. (e) Displicuit verò ista communio propter multitudinem controversiarum, plurimaq; incommoda alia, qvæ inde subinde pullulabant aucto genere humano, eoq; in malitiam atq; libidinem magis magisq; prolabente; adhæc qvisq; statu societatis ita exigente, qvod occupavit id postea tanqvam proprium retinuit. Qvo ipso communi voluntate & consensu distincta sanxitaq; sunt à gentibus rerum dominia; (f) hæc etiam Deus in decalogo, (g) & Christus in Novo Testamento probat, (h) qvæ ipsa etiam ob insignem utilitatem de tempore ad tempus ad mores nostros pervaserunt. Prælibare hæc visum fuit, cum omnis disputatio nostra de JURE DOMINII futura sit.

(a) *Gen.1. vers.28. & seqq.*

(b) *Gen.9. vers.1.2.3.*

(c) accuratè de eà re disserit *Excell. Dnus Hahnius in observationibus ad Wesemb. tit. de acqv. rer. dom. num.13. verb. ad jus naturæ*, junctâ observatione *ad tit. de J. & J. num.14. verb.* tribuamus cuiq; suum, *& ad num.16. verb.* ut sunt distinct. dominiorum.

(d) *Unde Seneca in Octavia act.2.* ait: pervium cunctis iter, communis usus omnium rerum fuit; Et *Justin. lib.43.* erant Saturni ævo omnia indivisa omnibus, & communia, veluti unum cunctis patrimonium esset.

(e) Hinc usus rerum universalis vice proprietatis fuit, *Hugo Grotius de J. B. & P. lib.11. c.2. n.2. & Hahnius in disput. de jure rerum conclus.12.*

(f) *§.2. Inst. de J. N. G. & C. l.5. ff. de J. & J. & l.2. ff. de acqvir. rer. dom.*

(g) *Exod.20. vers.15.*

(h) *arg. Matth.18. vers.23. & 19. vers.22.*

THESIS

THESIS I.

DE Dominio (nostratibus Eigenthumb) disputaturum prius nosse oportet unde ejus nomen descendat, (a) Estq; solenne illud & familiare JCtis notitiæ rei præmittere principia nominis, & ab allusione exordiri (b) Est autem à domo appellatum (c) nec olim fuerat latius & amplius dominium, qvàm qvod habitationis nostræ finibus contineretur. Cui rei etiam argumento est, qvod qvi domui præsit, ejusq; imperium teneat, cum ei familiam omnem parere oporteat; is verè Dominus sit, tanqvam domus moderator atq; Imperator (d)

(a) *argum. l. 1. in princ ff. de J. & J.*

(b) *l. 1. ff de rebus creditis. l. 1. ff. de acquir. possess.*

(c) *Wesenb. in parat. de acquir. rer. dom. num. 2. Cujacius 10. obs 16.*

(d) *l. 13. C. de usufr. l. 195. §. 2. ff. de V. S.* Ulpianus patrem familias esse finit, qui in domo dominium; h. e. præeminentiam, aut, ut illic latinius interpretatur Alciatus, moderandi arbitrium ac potestatem habet.

II.

Vocabulum Dominii multiplicis est sensus. Veteres accepêre pro convivio qvod domi celebrabatur, & Dominum pro eo, qvi convivium exhiberet, (a) Hodiè significat qvamlibet potestatem seu facultatem legitimam ad aliqvid (b) idq; latissimo in significatu.

(a) *Cujacius lib. 11. obs. 12.* & dominia distincta esse censentur à sodalitiis, qvod illa domi à privatis, hæc solennibus in locis à Magistratibus præbeantur, *Conan. lib. 10 c. 5. n. 7.*

(b) Seqvemur in tantâ Dd. sibi contradicentium multitudine vestigia *Excell. Dni. Hahnii in disp. de jure rer. concl 35 & 36.* & accuratius *in comm. ad Wes. de acqvir. rerum dom. num. 3.* Sic Dominus litis dicitur, & dominium litis pertinere ante litem contestatem ad eum qvi procuratori mandavit *l. 1. C. de sent. & interl. omnium jud.* post litem contestatam ipse procurator dicitur Dominus *l. 22. & 23. C. de Procurat. l. 4. §. f. ff. de appell.* Sic ea quæ sunt potestatis dominicæ, patriæ & tutoriæ complectitur *l. 215 de V. S.* & tutor si suo officio rectè fungitur, Domini

loco habetur *l. ad ea 157. ff. de reg. Jur.* Sic Imperator ratione Jurisdictionis dicitur Mundi Dominus *in L. 9. ad L. Rhod. de jact.* Sic omne jus, qvod qvis habet sive in personam sive in rem potest dici dominium, qvod *etiam thes. praced. attigimus per l. 195. §. 1. & 2. ff. de V. S.* Synonima sunt meum, tuum, suum, qvibus & jus, qvod circa rem est *l. 25. de O. & A.* sc. jus in re, *l. 14. §. 2. de except. rei judicat.* & ad rem *l. 36. ad SCtum Trebell. l. 91. de V. S.* & qvod in personas competit *§. fin. Inst. de his, qvi sui vel alien. jur.* denotatur. Item: patrimonium *in pr. Inst. de rer. div.* Bona *l. 49. ff. de V. S.* Dominatio *l. 78. de acqvir. vel omitt. hered.*

III.

Strictiùs accipitur pro jure in re, qvod communione rerum sublata privati in res sibi acqvisiverunt (a)

(a) *Habn ad par. Wes. d. acq. rer. dom. num. 3.* Ita hereditas Dominium dicitur *l 19. §. 3. de castr. pecul* heres appellatur Dominus *§ ult. Inst. de hered. qual. & diff.* item: hoc sensu Dominium aliud est Servitutis *l. 8. ff. pr. de reb. auth. jud. poss.* aliud possessioni[s] *l. 3. si usufr. petet.* aliud pignoris *l. 48. de solut.* aliud usufructu[s] *d. l. 3. si ususf. pet.* Hæc talia impropriè dicuntur dominia cum in qvalitates & accidentia corporis naturalis tantùm sin[t] comparata.

IV.

Strictissimè capitur pro jure in substantiam rei seu pro e[o] jure, qvo corporis naturalis usus & alienatio est in arbitrio po[s]sidentis. (a)

(a) *Habn. supr. laudato loco.* Atq; in hâc significatio[ne] maximè propriâ acceptum dominium differt ab hereditate *a[rg.] l. 19. de her. petit. l 37. ff. de acqvir. hered.* à possessione *l. 12. § 1. [de] acqvir. poss.* Creditor negatur esse dominus pignoris *l. 19. [de] damn. infecto.* usufructuarius non est Dominus. *l. 1. § 1 & 2. [ad] SCtum Silan.* Item opponitur Dominium servituti *l. 1. §. 3. [de] remission. l 19. de damn. infect.* Synonima sunt Mancipiu[m] qvod verbum antiquioribus Romanis usitatum fuit in hâc r[a]tione: *unde apud Varronem lib. 4. de ling. latinâ* legitur: Ni[hil] dat fortuna mancipio: hinc etiam res mancipi & nec manci[pi]

h

hinc mancipatio i.e. civilis translatio Dominii. de qvib. *Ulpian. in fragm. tit. 19.* Autoritas, qvo verbo utebantur, pro jure legitimi dominii, *ut in leg. 12. tabb.* qvod subreptum erit, ejus rei æterna authoritas esto. Dominicum, *lib. 2. Feud. tit. 35.* ibi: Episcopi & Clerici ea, qvæ in Dominico habent, olim dederunt, & hodiè dant. Dominium proprietatis *l. 46. §. 1. l. 74. de furt. l. 4. C. de probat.* Proprietas *l. rectè dicimus 25. de V. S. §. 44. & 45. Inst. de rer. divis. l. 9. §. 6. & 7. l. 13. pr. & §. 1. l. 36. d. acq. rer. dom.* Proprium *l. 28. d. acq. rer. dom. l. 10. C. de ædif. priv.* Jus dominii *t. t. C. de jur. dom. impet.* veritas *l. 136. de reg. Jur.* & probat sturc. *add. l. n. 1.* & Dominium absolutè.

V.

Dominium (a) est jus (b) constitutum in re corporali (c) qvo ea propria est. (d)

(a) Qvanqvam JCtorum non sit ambire scrupulosam ac superstitiosam definiendi facultatem; necessarium tamen est communi Eruditorum consensu rei ipsius præmittere definitionem *Cic. lib. 1. Off. Arist. 2. Analyt. 7.* Dissentiunt autem ferè omnes circa tradendam Dominii definitionem *Treutl. vol. 2. disp. 20. thes. 1. lit. m.* Aliter enim definit *Bart. ad l. si qvis 17. §. 1. num. 4. & 5. de acq. poss.* qvem pleriq; seqvuntur, & latè propugnat *Schurff. cons. 50. cent. 1. num. 1.* Aliter Giphanius, Forsterus, qvos refert Hahn. *ad par. Wes. de acq. rer. dom. num. 3.* Aliter *Coras. 6. miscell. 20. num. 1. Donell. lib. 9. comm. c. 8. Myns. Wesenb. Treutl.* Nos hic seqvimur cumprimis autoritatem D. Hahnii *in disp. de jure rer. Concl. 37.*

(b) Jus esse nemo dubitat & patet *ex l. si ita 126. §. 1. ff. de V. O. Vasq. illust. Controv. c. 41.* Aliud etiam est res ipsa, aliud jus rei; sicut differt hereditas à rebus hereditariis.

(c) *Quod arguit rubrica de acqvir. rer. dom. & l. 3. §. 5. & tot. rubr. C. de jure Dom. impetr.* atq; hoc ipso distinguitur ab obligatione, qvæ est jus in persona *l. 25. in pr. ff. de O. & A.* & patet *ex l. 3. in pr. ff. eod.* plenius etiam confirmat Vultejus, obligationes ad jus rerum non pertinere in *Comm. ad tit. Inst. de Oblig. in pr.* Porrò notanter dicimus; Dominium esse rerum corporearum tantùm, non etiam incorporearum *contra Vultej. ad pr.*

nium

num. 20. Inst. de rer. divis. Zoesium in comm. ad ff. de. acquir. rer. dom. n. 2. Treutl. vol. 2. disput. 20. thes. 1. lit. L. Stamus a. à partibu Dni. Hahnii, qvi non nisi cum absurditate earum domini statui posse contendit, *in disp. de jur. rer. Concl. 13.* aut, si aliq largiendum diversum sentientib9, in significatu minus propri admitit. *ibid. Concl. 39.*

(d) Hæc vocula constituit differentiam specificam, & fac dominium differre ab usu, usufructu & possessione; qvæ no nisi in rei accidentia & commoda comparata sunt *arg. l. 13. § 1. damno infecto :* istud verò in ipsius rei seu corporis natural substantiam, adeò ut non tantum arbitrium ejus liberum ute di, abutendi, negligendi, alienandi, sed etiam vindicandi rem quovis possessore penes dominum sit *l. 13. de rei vindic. §. 1. fin. Inst. de action.* Atq; hæc est propria vis ac natura domin *l. fœminæ 3. § illud 1. C. de secund. nupt.* seu: effectus dominii pr prius *Wes. in par. de acq. rer. dom. num. 3.* Notandum tame qvod liberum hoc disponendi arbitrium sœpius aut jure a conventione impediatur, ut maritus in re dotali, pupillus, f riosus, prodigus &c. *t. t. Inst. qvibus alienare licet vel non l. fi usfam. 114. § Divi 14 ff. de leg. 1.* Sic pignoris debitor non po est alienare pignus, quemadmodum nec creditor, si pactum non vendendo intercessit *l. 7. in fin. & t. t. ff. de dist. pign. & Wes. n. 5.*

VI.

Constat Dominium ex proprietate (a) & jure utendi fr endi (b) qvæ conjuncta plenum dominium constituunt; sep tata separatam habent rationem (c)

(a) *per l. si cujus 13. pr. ff. de usufr. l. si tibi 17. ff. quibus mo. usufr. amitt. l. proprietatis 4. C. de probationibus arg. §. 44. seqq. de rer. divis. l. 16. de acqvir. rer. dom.* atq; dicitur pars in grans pleni dominii *Bachovio ad Treutlerum Vol. 2. disp. 20. thes lit. K.*

(b) faciunt huc modò dictæ leges. Reddit eqvidem *W in par. de acq. rer. dom. n. 4. & Paurmeist. lib. 1. de Jurisd. c. 20.* partes Dominii essentiales proprietatem & possessionem, q græcis dicuntur κτῆσις καὶ κατοχή *Wes. ibid.* At verò eæ non

piu

piunt vel *Hahn. vel Bacch. in suis Comm. eodem.* Illud tandem cum sæpiùs laudato Hahnio defendere sustinebimus, cum rerum dominia ex possessione cœperint *l.1. §.1. de acq. poss.* ratione acqvisitionis dominii esse partes proprietatem & possessionem, post illud acqvisitum nihil inter se habere commune, *per l. naturaliter 12. ff. de acq. v. amitt. poss.*

(c) Huc pertinet distinctio Ususfructus in causalem, qvem Dominus habet jure dominii, qvi pars ejus dicitur *l.4. ff. de Usufructu* & formalem, qvi à proprietate est separatus, qvod patet ex ejus definitione traditâ *in l.1. ff. de usufructu in pr.* Atq; in hâc notione opponitur proprietas usufructui. Inde in jure recepta distinctio, qvâ alia proprietas dicitur plena, cui conjunctus est ususfructus, alia nuda, à qvâ abscessit ususfructus *l.34. & passim ff. de usufructu. l.2. ff. qvibus modis ususfr. amitt. l.8. 14. 26. 39 ff. de usu, usufructu & operis &c.*

VII.

Species Dominii variæ adferri solent (a) Dividebatur olim in naturale & civile; (b) Et hoc qvidem ex jure Qviritium; illud bonitarium sive in bonis dicebatur; Hoc cum peregrinis commune; illud verò civium Romanorum proprium.

(a) Multiplex est dominii divisio, *Pacius ad l. proprietatis 4. C. de probation.* Recentiores qvidam adferunt qvadrimembrem, qvâ vel est plenum vel proprietatis nudæ, vel ususfructus vel possesionis, qvæ tamen nominis potius qvàm rei esse videtur. *Gripham ad §. singulorum 11. Inst. de rer. divis.* Addunt etiam dominium qvod κατ' ἐλπίδα dicitur. *Wes. in par. de acq. rer. dom. n 4. Hartm. Pistoris qvæst.38. num.58. lib.2. part 2.* idq; probare conantur *ex §.2. Inst. de hered. qval. & diff. l. in suis 14. ff. de suis & legit. hered.* At verò impropriè tale dicitur, cum filius patre vivente jus nullum habeat *arg. l.63. ad L. Falcidiam;* dominium autem finivimus suprà jus circa rem jam constitutum. *Dn. Hahn. in comm. ad par. Wesenb. de acq. rer. dom. n.4. verb. Filius in bonis.* Nec sapit dominium Eminens Excellent. Dn. Lysero Antecessori Academiæ hujus illustris patrono meo devenerando *in disputatione solenni de proprietate rerum thes.28. & seqq.* sunt enim dominia propriè sic dicta privatorum,

qvi ea acqvisiverunt *§.11. Inst. de rerum divis.* & lex naturæ volt ne qvis locupletetur cum alteriùs jacturâ *l.14 ff. de cond. indeb.* Nec qvadrat dominium proprietatis & juris seu rerum corporalium & incorporalium, *vid. thes praeced.* Plures aliorum circumferuntur divisiones, qvas refutatas videre est *apud nobiliss. Dn. Habn. in disp. de jure rerum concl 39.* Qvi idem asserit exactas dominii species vix dari posse *in Comm. ad Wesenb. num.4 verb Dominii species.* Qvo facit qvod alii simplex & unum dominium statunt, *Harprecht. ad pr. Inst. de rer. divis. n.53. & Treut. vol 1. disp.15. thes 1. lit.g. & vol.2 disp. 20. thes 2.* ubi Domini divisionem omninò præteriit, qvod factum existimat subtilissimus Bacchovius ibid. eò, qvod dominium ultimam statuer esse speciem.

(b) *L 1. de acq. rer. dom. arg. §.11. Inst. de rer. divisione Bocholt. in tract. de feud. c.1. n.14. Zoes. in comm. ad ff de a. r. d. n. Wesenb. ibid. num. eod.* Qvam subtilem differentiam Imperator Justinianus omninò sustulit *arg. tit. C. de nud. jur. Qvi ritum tollendo* Probare rursus eandem videtur *Cujac. 11. obser. 35. & Dn. Habn.* in sæpius laudata *disp. de jur. rer. concl. 40.* eum effectum, ut, qvi jure singulari est dominus, etiam ejusd rei hypothecam habere possit; qvodq; in Dominio commu obtineat contrà. Prioris exemplum redditur mulier qvæ anticipationem domina fingitur dotis, & hypothecam te *l.4. de collat. l.30. C. de jure dotium,* sic legatarius rei legatæ dominus jure civili *l.47. de furt. & habet* hypothecam *l.1. comm. de legat.*

VIII.

Dominium aliud est verum (a) aliud qvasi perhibetur sicut possessio alia vera est, alia qvasi, & secundum Interpre contractus alius verus, alius qvasi, delictum verum vel qv peculium castrense vel qvasi.

(a) Verum est qvod jure gentium vel civili, *§.11. & §. Inst. de rer. divis.* vel jure Prætorio, veré acqvisitum est; po rioris generis duo sunt modi (1) qvando qvis ex decreto secu in possessionem mittitur *l 5 ff. comm. divid.* (2) qvando ex ed successorio bonorum possessio agnita est *l.1. de bonor. pos*

hoc dominium ex jure Prætorio verum & plenum est non utile *arg. l. 2. de poss. bered pet, l. 117. de reg. Jur. junct. l. 59. eod. Vid. Dn. Habn. disp. de jure rer. Concl. 38.*

(b) qvasi dominium, fictum seu præsumtum est, qvod reverà non est, sed æqvitate suadente fingitur *arg. § 3. Instit. de actionibus, l. 48. de acq. rer. dom. l. 136. de Reg. Jur.* Et est jus qvod habet ille, qvi rem bonâ fide & justo titulo possidet, seu, jus in re qvod competit ei, cui jus pignoris vel hypothecæ vel servitutis personalis vel realis debetur *l. pignus 1. ff. de pignorit. act. l. 11. § 1. l. 12. § 1. & seqq. ff. de publiciana in rem actione.* Hinc loqvendi formulæ freqventes in jure; qvasi dominus *l. si quis 8. ff. de interrogationibus* qvodammodo meum *l. 4 Prætor. § 1. ff. de edendo* qvodammodo dominam *l. 1. ff. rerum amot.* loco domini, *l. qvi fundum 7. § 3. ff. pro Emptore* ad instar proprietatis *Ulpian. in l. 7. § 6. ff. de public. in rem actione.* & qvi habet istiusmodi dominium, pro domino facere & agere dicitur *l. 48. ff. de solut.* Res enim habetur jure dominii vel etiam qvasi dominii, i. e. si non sit in me translatum dominium, tamen possidendo possum effici dominus, si bona fide & *justo titulo rem non vitiosam mihi traditam* possideo; unde ista duo consueverunt simul apponi, jure dominii vel qvasi, *Schneid. ad § 5. Inst. de action. in formato ibid. libello pag. m. 530.* qvod verbum nota est improprietatis, qvo non denotatur veritas, sed in universum qvæ ad exemplum aliorum in jure introducta sunt, intelliguntur *l. id. tempus 14. in fin. ff. de usurp. & usu cap.*

IX.

Verum dominium vel est perfectum seu plenum (a) vel minus plenum. (b) Et hoc vel est directum (c) vel utile (d)

(a) Illud est qvando qvis integrum jus habet; seu: cùm qvis & proprietatem rei habet & omne ejus emolumentum, *arg. l. 4. de alim. & cibar, leg. l. 46. de usufr. l. 11. C. de action. Empti. l. 17. § fin. de rei vindicat.*

(b) Hoc est, definiente Molina, qvando is, qvi Dominus rei alicujus est, non habet integrum jus in illa, sed pars una juris ad unum pertinet altera ad alium; faciunt huc *l. si cujus 13. pr. ff. de usufr. l. si tibi 17. ff. qvib. modis ususfr. amitt.*

 (c) Di-

(c) Directum: (qvod Practici superius das Ober-oder grund-Eigenthumbs appellitant; unde Dominus directus seu proprietarius der Eigenthumbs Herr / Erb-Herr:) est, qvando qvis tantùm habet rei proprietatem. Hoc habet (1) Dominus superficiei *arg. l 1. § 4. de superficiebus.* (2) dominus feudi *arg. 2. Feud. 8. §. qvamvis, 2. Feud. 47.* (3) dominus Emphyteuseos *arg. §. 3. Inst. de locat. & conduct. l 1. & 2. C. de jure Emphyteut.*

(d) Utile, qvod & inferius das untere / niedere oder nutzbar Eigenthumb / practicis dicitur est, qvando qvis habet plenum rei fructum, & competit (1) superficiario, *arg. l. 73. §. 1. & l. 7. ff. de rei vindicat. l. 3. §. pen. de nov. oper. nunc.* (2) Vasallo *arg. 2. Feud. 8. vers. Rei autem, 2. Feud. 23. in fin.* (3) Emphiteuticario *l. 71. §. pen. & l. ult. de legat. 1. junge Schneid. ad §. sing. 11. Inst. de rer. divis.* Cæterum dominium minus plenum nominatim à veteribus JCtis usurpatum non legitur, *teste Forstero de dom.* & nec agnoscunt ex recentioribus *Giphanius ad §. sing. Inst. de rer. divis. Treutler. vol. 1. disput. 15. th. 1. lit. g.* Quibus jure merito contradicunt *Bacchov. ad Treutl. dict. disp. 15. Zoesius d. acq. rer. dom. n. 5. Wesenb. in par. ibid. num. 4.* Multa enim à recentioribus facilioris explicationis gratia sunt adinventa Veteribus incognita, verba sunt *Zoesii laudato loco.*

X.

Ex accidenti dominium aliud est revocabile (a) aliud irrevocabile. (b)

(a) Illius refert exempla *Dn. Hahn. ad Wes. de R. V. num.* scilicet, dominium ad certum tempus wiederkäufflich / vel sub certis conditionibus acqvisitum, *arg. l. 66. eodem* literas ejus tenoris exhibet *Adamus Volckmannus de arte Notariatus part. cap 31. p. m. 145.* item: dominium qvod habet bonæ fidei possessor respectu alterius non domini *arg. l 24. §. ult. ibi: qvamdiu non evictus fundus fuerit de usur.* hujus indolis est etiam illud qvod maritus habet in re dotali constante matrimonio; potest enim uxor, si maritus vergat ad inopiam, vi hypothecæ sibi ejus dominium revocare *per l. 30. C. de jure dotium.*

(b) Hoc qvale sit ex oppositi naturâ omnium rectissime apparet.

Causa efficiens principalis Dominii est jus (a) aut gentium (b) aut civile. (c) Acqvirit autem jus nobis dominium vel sine facto nostro (d) vel facto aliqvo accedente sive nostro sive alieno. (e)

(a) Jus enim omnium illorum, qvæ legitimè fiunt, causa est, & qvæ à jure aberrant, ab eodem excluduntur, ut pro nullis habeantur *Wes. ad princ. Inst. de Rer. divis.*

(b) qvod etiam distinctionem dominiorum introduxit *l. ex hoc jure 5. ff. de just. & jure.*

(c) Qvod proprium est cujusq; civitatis *Zoesius Comm. de acq. rer. dom. n 6 Wes ibid. num. 5.* De utroq; jure loqvuntur *Cajus JCtus in l. 1. ff. de acq. rer dom. & Just. Imperat. in §. singulorum 11. Inst. de rer. divis.* Unde modi acqvirendi sunt vel naturales vel civiles, *de qvib. in thes. subseqq.*

(d) Nempe, qvicquid ex re nostrà nascitur, sine facto nostro nobis acqviritur, & rei nostræ accessio est, qvæ ex ipsa re trahitur. Sic hereditatem nonnunqvam sola lex & immediatè defert, *L. lege 14. C. de legit. hered. t. 1. Instit. de hered. qvæ ab intest. deferuntur.*

(e) Fit hoc immediatè per nosmetipsos. Et si res nullius sit, dominium jure gentium qværitur occupatione; sin verò alicujus est, traditione; (excipimus hìc res hostium, qvæ occupatione acqviruntur. *Zoes. de acq. rer. dom. n. 7.*) vel mediatè per filios ac servos in potestate nostra existentes, *tit. Inst. per qvas pers. nob. acqvir* per homines liberos *L. liber homo 19. ff. de acq. rer. dom.* per servos alienos bonâ fide qvos possidemus, per procuratorem *§. 5. Inst. per qvas pers. nob. acqvir. l. 13. ff. de acq. rer. dom.* Per negotiorum gestorem, per tutorem, Curatorem, per Syndicum *Pac. ad tit. Cod. per qvas pers. nob. acqvir.*

XII.

Minus principalis causâ Dominii sunt personæ, qvæ dominium acqvirunt. Possunt autem omnes acqvirere, nisi speciatim prohibeantur (a) vel conditione personæ suæ (b) vel suâ ipsorum voluntate id non agant, ut sibi acqvirant (c)

(a) Sic enim in jure comparatum est, ut qvoties qværit
qvid alicui in jure concessum, ita definiendum sit, omnia cui
licere, si leges non prohibeant, *arg. leg. nec non 28 §. qvod c*
2. ff. ex qvibus caus. Et permissum est qvod non est prohibitu

(b) Qvibus commercium rerum omninò interdict
est, ideoq; inhabiles & incapaces dicuntur *l. 12. ff. de usur.*
vel ob naturam propter defectum animi, in personis fur
sorum §. 8. *Inst. de inutil. stipul.* qvi absentium loco haben
textus est in l. 2. §. 3. ff. de jure Codicillorum l. 124. de reg. Jur.
mentium & infantium §. *pupillus 10. Inst. de inutilib. stipul.*
negotiis 5. ff. de reg. Jur. & omnium eorum, qvi intellectu,
dicio & certo acqvirendi proposito destituuntur. Propter
tium corporis qvandoq;, qvi carent sensibus exterioribus i
qvi sunt necessarii ad perficiendam acqvisitionem, ut mu
surdus §. *mutum 7. Inst. de inutil. stipul.* qvi tamen tacitè cons
tire possunt *l. 4. ff. de pactis l. in quibuscunque 48. ff. de O. &*
vel ob legem, puta, in iis qvi velle qvidem possent, aut v
posse videntur, lex tamen voluntati eorum obstat; uti s
impuberes, pupullus, qvatenus eorum conditio acqvire
deterior fieret *in pr. & §. 1. Inst. de auth. tut. §. nunc admonen*
Inst. qvib. alienare licet vel non, l. 43. de O. & Act. Prodigi,
sua bona dilacerando & dissipando profundunt *l. 1. ff. de cu*
furios. dand. l. 18. ff. qvi testam. facere possunt, de qvibus ta
vid. Nov. Leon. 39. qvamvis hi meliorem conditionem fa
possint *§. 9. Inst. de inutilib. stipul. in pr. Inst. de auth. tut. l. 3*
novat Servi *l. 17. de pœnis, tit. de interd. & relegat. l. qvod att*
32. de reg. Jur. & omnes qvi commercium juris Civilis
habent.

(c) Qvales sunt omnes, qvi eò animo qvid accipiunt
non sibi sed alteri acqvirant. Qvo minus enim sibi acqvir
voluntas refragatur acqvirentis, *l. si genero 26. C. de jur.*
multum 6. in fin. C. si qvis alteri vel sibi; Nam occupatio
sessionis adfectionem possidendi desiderat *l. 3. §. 1. ff. de*
possess.

XIII.

Causa Formalis est, proprietas in ipsius rei substan
compara (a)

(a) I

(a) Diximus de eô suprà *ad thes. V. lit. d.* qvibus jungatur *Excell. Dn. Hahnius in Comm. ad Wesenb. de acqvir. rer. dom. n. 3. pg. m. 484. & num. 11. eod.*

XIV.

Causa materialis sunt res (a) omnes (b) videlicet corporales (c) mobiles & immobiles (d) extantes & futuræ (e) præsentes & absentes (f) nisi specialiter alienari prohibitæ reperiantur (g)

(a) Rerum qvoq; respectus non immeritò habetur. Nec enim omnes eodem jure censentur, & idcircò rem aliqvam affectaturo, opponi solet exceptio: Tibi non est jus habendi hanc rem, qvæ impedit litis contestationem *l. inter stipulantem 83. §. sacram 5. ff. de V. O.*

(b) Qvæ in acqvisitionem deduci possunt, in commercio & usibus hominum esse, qvæ haberi & possideri possunt *§. 2. Inst. de inutil. stipul. l. 62. de acq. rer. dom. l. 34. §. 1. de contrah. empt.*

(c) Qvod rerum corporalium tantùm sit dominium propriè sic dictum, id ostendit cumprimis *t. t. ff. de rei vindicat.* rerum incorporalium vindicatio contrà expressè negatur *l. 56. eod. tit. add. Gothofr. hic in vocula peculii lit. 11.* junge etiam *Dn. Hahn. Comm. ad Wes. de acq. rer. dom. num. 3. pg. m. 485.*

(d) *l. 20. & seqq. de contr. empt. l. si rem 47. ff. de acq. poss. t. t. de rei vidic.*

(e) Veluti fructus *§. ea qvoq; res 7. Inst. de legat.* Item; cum qvasi alea emitur *l. nec emptio 8. §. 1. ff. de contr. empt. l. 11. de act. empti.*

(f) *L. 1. in fin. ff. de contr. emptione.*

(g) Res qvædam in commercium acqvirentis non veniunt (1) naturâ, ceu sunt impossibilia *l. si stipulor 35. & l. continuus 137. §. 6. de V. O. l. 135. de reg. Jur.* Similiter res sacræ, sanctæ, religiosæ *§ 1. Inst. de usucap. l. 83. § 5. de V. O.* Res furtivæ, vi possessæ *§ furtivæ 2. Inst. de usucap. l. 24. ff. d. t.* Vel (2) Lege, uti sunt res alienæ, *t. t. C. de rebus alienis non alienand.* publicæ *l. 83. §. 5. ff. de Verb. Oblig.* Bona Ecclesiastica, *Nov. 120. & Nov. 7. cap. 1. §. 7. 8. Inst. de rer. divis.* Litigiosæ *ff. & C. de litigiosis*, Dotales, *§. 2. Inst. qvib. alien. licet vel non tit. de fund. dotali.* Hereditariæ viventis *l. pactum 15. l. l. licet 19. C. de pactis*

XV. Hi-

XV.

His præmissis conseqvens esse videtur, ut ad modos sive ti- tulos constituendi dominium progrediamur. Sunt enim D minii constituendi (a) tituli varii: veluti, Emptio. vendi (b) æstimatio (c) permutatio (d) mutuum (e) solutio (f) do tio (g) legatum (h) dos (i) stipulatio (k) pactio (l) investitu feudi (m) sed an etiam per sententiam? qvæstionis est nodo Qvod alii in pignore adjudicato simpliciter; (n) nos ad mi mum in genere qvoad præsumptionam dominii affirmamus.

(a) Causæ constituendi dominii diligenter nobis exp dendæ sunt: Ut enim obligatio nulla contrahitur, nisi c causa justa prædat, ex qvâ constet id actum inter contrahen ut alter alteri obligetur, *l. obligationum 3. l. in omnibus 55. ff Obl. & act.* Ita neq; absq; justâ traditionis causâ domini transfertur. Ex hoc enim colligitur, dominum rem suam alium transferre voluisse Qvod autem hæ sint causæ, pro *L.1. & seqq. ff. de publiciana in rem actione, & textus in l. nunq nuda 31. ff. de acqvir. rer. dom. l pro soluto 46. ff. de usucap.*

(b) Qvamvis per Emptionem res non fiat mea sine tr tione *l.20. C. de pactis.* nec qvi vendit eam cogatur facere me *l. si ita 25. §. qvi vendidit 1. ff. de contrah. emptione.* semper ta in emptione hoc agitur, ut res fiat mea & venditor obligetu transferendum rei dominium, *Heigius ad rubr. Inst. de emp vend. ex VVesenb.*

(c) *l. qvoties 5. C. de jure dotium, l. plerumq; 10 §.* qvia æstimatio venditio est, *ff. eod.* Hinc is, cui res dotis mine æstimatò tradita est, habet potestatem eam vicissim nandi *L. qvod si 11. ff. de fundo dotali.*

(d) Esse titulum translativum, *arg. l.1. in fin. cum ff. de rer. permut. VVesenb. consil.186. n.14.* docet.

(e) *Gail. lib.2. obs 12. n.1. seq. per textum in l.2. §. app 2. ff. de rebus creditis* ubi mutuum dicitur, qvod de meo tuum qvod verbum, ut & tuum, suum, nostrum, ad jus domini tinet. Notamus tamèn cum Excellentissimo *Dn. D. Suev* tecessore hujus Academiæ desideratissimo *ex Vultej. 1. d c.7. n.1. & 2. in Exercitationum feudalium sextâ & qvidem*

tione primâ. Constitutionem & acqvisitionem tempore interdum simul esse, & in uno eodemqve negotio velut mutuo concurrere.

(f) *L. ult. ff. qvibus ex causis in possessionem eatur, l. si prædium 4. C. de eviction.*

(g) *t. t. pro donato.*

(h) *t. t. pro legato.*

(i) *t. t. pro dote. L. 1. C. de fundo dotali. L. si ego 9. §. 1. ff. de jur. dot.*

(k) *t. t. de Verb. Obligat.*

(l) Qvale est pactum retrovenditionis; nam qvi sub hoc pacto emit, dominus fit, *l. 2. C. de pact. inter empt. ac vendit,* pactum legis Commissoriæ *l. fin. ff. de leg. Comm.*

(m) *lib. 1. feud. tit. 25. lib. 2. de feudis tit. 1. vid. hic cumprimis modò laudatum D. Suevum dicto loco hâc thes. lit. e.*

(n) *Rauchb. part. 1. qvæst. 46. n. 18.* Et Magnificus D. Carpz. *part. 3. Const. 16. def. 10. n. 8. per L. à Divo Pio 15. §. si pignum 3. ff. de re judicat. L. ult. §. sin verò nemo 2. & seq. Cod. de jure dominii impetr.*

(o) *L. sunt & alia 3. §. 1. in fin. ff. de public. in rem action, L. 7. pr. eodem.*

XVI.

Ab his causis differunt (a) modi acqvirendi dominium, qvi omninò sunt duplices, vel naturales, vel civiles. (b)

(a) Vulgò dominii constitutionem, & ejus causas cum acqvisitione sive modis ejusdem acqvirendi confundunt; Rectius tamen ab aliis discernuntur ab invicem; fundamentum ponimus in eo, qvod sola traditio sine causa dominium non transferat. per *l. 31. ff. de acq. rer. dom.* Econtrario nec solus titulus, nisi seqvatur traditio *l. 15 C. de rei vindicat* & in suprà laudatâ *l. 1. & seqq. ff. de public. in rem act.* qvo etiam collimare videtur *Dn. Treutlerus disp. 20. thes. 2. lit. a.* qvod tamen *Baccbovius* ibidem restringit ad unicum traditionis modum, sed perperam. Hoc observatur etiam in feudis; ubi feudi constitutionem, ab ejusdem acqvisitione non sine ratione discer-

fiunt, *Schneid. in epitome in usu feudorum part. 4. n. 1. Dnus* [...] *Svevus d. Exerc. feud. 6. assertione prima.* Sic aliter consti[...]tuitur servitus *l. usufr. 6. §. 1. & 2. ff. de usufr.* aliter acqviritu[r] *l. 3. princ. verb. dare ff. eod.*

(b) *§. singulorum 11. Inst. de rerum divis. §. fin. Inst. de u[su] & habitatione, l. 1. ff. de acqvir. rer. dom.* Licet enim dom[i]nium sit ex jure gentium, qvoniam tamen jura & comme[r]cia rerum postulant, ut non tantum cum peregrinis, sed e[t]iam cum civibus contrahatur, factum est, ut qvidam mo[di] sint naturales & communes inter omnes gentes, qvidam ve[ro] civiles; *de qvibus thes. seqq. agemus.*

XVII.

Primus ergo modus (a) occupatio, ex ratione natura[li] inter omnes homines peræqve observata, est: justa rei a[p]prehensio, per qvam habetur possessio naturalis, à qva dom[i]nium rerum qvondam cœpit. (b)

(a) Modi acqvirendi qvi & qvot sint non satis inter i[n]terpretes convenit; explicari in Institutionibus duodecim r[e]ferunt *Contius & Theophilus*; *Wesenbec. de rerum divis.* dece[m] & octo adfert; *Mynsingerus eodem* viginti. Melioris intell[e]ctus gratiâ omnes omninò ad generales qvosdam revoc[ati] sunt; qvorum Treutl. facit 4. Occupationem, traditione[m], accessionem, specificationem *vol. 2. disp. 20. thes. 2.* Hahni[us] duos: Occupationem seu apprehensionem & accessione[m] cum suis subdivisionibus, *in Comm. ad Wes. d. acq. rer. do[m.] n. 8.* Alii tres constituunt modos 1. Occupationem à par[te] acqvirentis, 2. Traditionem à parte alienantis & 3. acce[s]sionem à parte rei. *Zoes. in Comm. ad ff. de acq. rer. dom. n.* [...] qvæ divisio ipsi Hahnio loco supra laudato arridet, & n[os] eam perseqvemur.

(b) Id enim qvod nullius est, naturali ratione occupan[ti] conceditur *l. 3. ff. de acq. rer. dom. Wesenb. Schneid. Myns. Bor[...]* & reliqvi Institutionum explanatores. Occupatio in sign[i]ficatu laxiori non tantum ad animalia (qvod tamen freqve[n]tius in jure fieri solet) sed etiam ad prædia, agros, thesauro[s]

lap

lapillos in littore &c. porrigitur *l. quod in littore 14. ff. de acq. rer. dom.* Strictius sumpta circa animalium apprehensionem, nominatim circa venationem, aucupium, piscationem occupatur *l. 1. §. ult. d. a. 2. d. & §. feræ igitur 12. ibi: capta, it: ibi: capiat Inst. de rer. divis.* vel circa hostium, rerumqve qvæ illorum sunt, capturam *§. it: ea quæ ex hostibus 17. Inst. de rer. divis. l. naturalem 5. §. ult. l. transfugam 51. §. 1. ff. d. a. 2. d. l. si quod bello 28 junct. l. 21. ff. de capt. & postlim. reversis.* Sic Cyrus Persarum Rex apud Xenophontem lib. 7. ait: νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιος ἐστιν, ὅταν πολεμούντων πόλις ἁλῷ, τῶν ἑλόντων εἶναι καὶ τὰ σώματα τῶν ἐν τῇ πόλει, καὶ τὰ χρήματα.

XVIII.

Traditio est translatio possessionis. (a) In qvâ ex parte tradentis (b) ex parte accipientis (c) & intuitu ipsius rei (d) certa qvædam occurrunt reqvisita. Estq; vel vera vel qvasi seu ficta. (a)

(a) *arg. l. 3. pr. ff. de act. empt.* Dicunt alii esse de manu in manum dationem, qvæ descriptio vel ideò incommoda est, qvod in locato, deposito, commodato, res de manu in manum transferatur, nec tamen sit traditio. *Zoes. de acq. rer. dom. num. 52.*

(b) Ex parte tradentis reqviritur, facultas, qvam habent rerum domini, utpote qvibus tantum est arbitrium super re sua pro lubitu disponendi. Tutorum & Curatorum, qvi loco dominorum sunt, restrictior est potestas, cum nec mobiles res pretiosiores alienare possint *l. 22. C. de administ. tutor.* Procuratoris ex mandato domini facta traditio effectum suum conseqvitur *l. qvâ ratione 9. §. nihil autem 4. de acq. rer. dom.*

(c) Ex parte accipientis æqvè ut in tradente reqvirimus voluntatem, cum æqvum non sit, ut liber homo cogatur aliqvid facere, aut admittere in se invitus in actibus iis, in qvibus utriusq; consensum intervenire oportet, *Zoes. ad ff. d. a. 2.*

 d. num.

d. num. 84. & 85. Cui non obstat, qvod dominis etiam vitis à servis acqviratur *l. etiam invitis 32. dict. tit. l. servus de V. O.* cum id contingat mediatè & ex conseqventi vi potestatis dominicæ.

(d) Res qvæ veniunt in commercium omnes tradi & acqviri possunt, nisi lege aut testamento aut conventione alienari prohibitæ sint, *l. fin. C. de rebus alien. non alienand.*

(e) Qvanqvam ad dominii translationem traditione verâ sive fictâ opus sit regulariter, *per l. 20. C. de pactis.* Contingit tamen in qvibusdam casibus, ut immediatè transferatur dominium, e, g. in donatione Ecclesiæ facta *l. 21. C. SS. Ecclesiis*, in societate universorum bonorum *l. 1. §. 1 & ff. pro socio*, in donatione mortis causâ *l. 2. de publ. in rem.* in legato *l. 64. de furt.* in hereditate *l. 26. de acqvir. hereditate.*

XIX.

Jure qvoq; naturali acqvirimus accessione (a) qvæ nihil aliud est qvam modus acqvirendi ex eo, qvod ratione nobis accedit.

(a) *per reg.* Accessorium, *42. de reg. Jur. in sexto l. in rem 23. §. item qvæcunq; 5. de rei vindic.* Eaqve est vel simplex vel mixta. Ista rursus est vel naturalis vel artificialis. Naturalis est, qvando sine hominum labore intuitu rei nostræ nobis aliqvid accedit, qvod fit (1) procreatione animalium §. *in eudem fructu 37. Inst. de rer. divis.* Sic jure naturæ illegitimus partus seqvitur ventrem & ejus dominium *l. 24 ff. de statu hominum*; Ergò cujus est venter, ejusdem erit partus *l. 5. §. ff. de rei vind.* (2) Alluvione, qvando ita latenter flumen detrahit fundo alicujus & alterius adjicit, ut non possit animadverti, qvantum qvovis temporis momento adjectum sit, ideoq; qvod sic fundo nostro accedit, J. G. fit nostrum *l. adeo §. 1. l. 12. 16. 30. 38. 56. ff. de acq. rer. dom.* (3) Coalitione, qvæ est accessio, qvâ in sensus incurrit, qvantum fundo nostro adjicitur, sicqve aut retinet nomen generis & est, qvando

pa

pars aliqva uno impetu abrepta fundo meo adjicitur, qvæ prioris Domini manet *l.7. §.2. ff. de acq. rer. Dom.* fit autem mea, si tam diu cohæreat fundo meo; ut cum terra coalescat *d. l.7. §.2. & l.9. §.2 de damn. infecto.* Vel mutat nomen generis & dicitur Implantatio, qvæ fit qvando qvis plantam in solo meo ponit, qvæ mea fit non tantum interv n nte eo facto, sed cumprimis coalitione subseqvuta §. *si Titius 32. Inst. de rer. divis. vid. Bacch. Ad Treutl. Vol.2. disp.20. thes.5. lit.D.* (4) Alvei destitutione, qvæ facit, ut is à flumine relictus pro modo latitudinis possessiones propè ripam habentibus acqviratur §. 23. *Inst. de rer. divis. l.7. §.5 de acq. rer. dom.* (5) Insula nata; qvâ voculâ veniunt sæpius in Jure nostro ædes ab aliis distinctæ, ita ut communes cum vicinis parietes non habeant: Veriùs tamen, qvomodo & hic capitur, indigitat istum locum, qvi aqvis ambitur; atqve sic est vel è mari enata, qvæ ad occupationem pertinet, vel in flumine, qvæ ponitur in accessione naturali *Zoes. de acq. rer. dom. n.36.* qvæ ipsa si in medio fluminis fiat, cedit prædia possidentibus ab utraq; ripæ parte; si alteri parti sit proximior huic soli cedit non tantum proprietate sed etiam usu *l.7. §.3. d. a.2. d. §.22. Inst. de rer. divis. l.29. dicto tit.* Artificialis accessio fit (1) specificatione §. *cum ex aliena 25. Inst. h. tit. & ibi Mynsing. l. adeò 7. §. cum qvis 7. de acqvirend. rer. dom.* (2) intextura §. *si tamen 26. Inst. de rer. divis.* (3) Ferruminatione, qvæ fit per eandem materiam; & applumbatura, qvæ fit per diversam *l. in rem actio 23.* §. *item qvæcunq; de rei vind.* (4) Confusione §. *si duorum 27. Inst. de rer. divis. l. 7. §. voluntas 8. ff. de acqvir. rer. dom. l.3. §. Pomponius 2. cum duabus leg. seqq. ff. de rei Vind.* (5) Commixtione *per §. qvod sit 28. Inst. de rer. divis. Donell. lib.4. Comm. c.30. Wesenb. Borcholt. hic.* (6) ædificatione, qvicqvid enim solo inædificatur, solo cedit *l.7. §. cum in suo 10. ff. d. a. 2. d. VVes. in paratit. eod. n.9.* (7) scripturâ *per l.9. §. literæ 2. ff. eod. l.3. §. interdum pen. ff. ad exhibendum.* Regula ista, qvod accessorium seqvatur naturam sui principalis, antiqvitus etiam

*am militabat in picturâ per l. 23. §. 3. ff. de rei vindicat
verò antiqvata nunc ista lex per §. 34. Inst. de rer. divis.
ut hodie tabula cedat picturæ. Mixta accessio fit per
p ione fructuum à bonæ fidei possessore, qvi fructus ex
alienâ percipiendo omnes suos facit l. bona fidei 48. ff
acqvir. rer. dom. Zoesius hic num. 62. & seqq.*

XX.

Civiles modi sunt, qvi tantum inter Cives Roma
lege qvadam sunt recepti, iiq; sunt vel rerum singularum
usucapio (a) seu longi temporis possessio; vel universarum
successio. (b)

(a) Præcipuus de Jure civili res singulas acqvire
modus est usucapio seu præscriptio, qvæ hodierno J
cum usucapione est eadem *l. unic. C. de usucap. transf.*
autem acqvisitio dominii Civilis *§. fin. Inst. de usu & h.
tatione, Donell. lib. 5. Comm. c. 5.* ex justâ rei possessi
l. 3. l. 25. ff. de usucap. per legitimum tempus continuat
d. l. 3 l. 20. eod. §. diutina 12. Instit. d. tit. Et qvidem
Civili i. e. leg. 12 tabb constitutum est, ut res mobiles,
no, immobiles biennio tantum in Italico solo usucapi
tur; Jure verò novo & in tempore & loco mutatio facta
ut res mobiles triennio, immobiles decennio aut vicen
sine ullâ differentiâ loci acqvirantur *l. unica C. de usu
transf. §. 1. Inst. de Usucap.*

(b) Per universitatem rerum dominia qværuntur suc
sione, eaq; vel civili vel prætoria, *l. 1. in fin. ff. de mun. & hon
Vid. supr. thes. 8. lit. a.* Utraqve verò vel ex Testamento c
tingit, vel ab intestato *l. lege 130. ff. de V. S. l. 3. §. de illo ff.
socio.*

XXI.

Dominium multis modis probari (a) potest: Ex c
sis vel titulis tàm naturalibus, qvàm civilibus (b) inst

m

mentis Emptionis (c) poteſt etiam probatio fieri inſtrumento inveſtituræ (d) Emphyteuſeos (e) ſed & qvibuscunqve aliis legitimis probationibus, veluti præſcriptione (f) Teſtibus; fama item publicâ & antiqvâ (g) aliisq; indiciis & argumentis (h)

(a) Dominii difficilem ac periculoſam esſe probationem asſerit, *Vasqvius lib. 2. Controv. 77. n. 5.* qvia juris eſt, non facti, in ſenſus corporeos non incurrit, ſed ſolo intellectu & judicio percipitur, cum in jure conſiſtat: ſic etiam, qvanqvam comparatè, concludit *Magnif. Dn. Carpz. p. 1. Conſt. 16. def. 24 n. 6.* Dominii probationem esſe difficiliorem qvàm posſesſionis: Hinc conſultius judicatur posſesſorio qvàm petitorio judicio agere; longè enim commodius cenſetur posſidere & ad onera petitoris adverſarium compellere *l. 24. Is, qui deſtinavit ff. de rei vindic. Gail. 2. Obſerv 26.*

(b) Egimus de his cauſis theſibus præcedentibus.

(c) *l. proprietatu 4. C. de probat. & l. cum ſuper eo, C. de rei vindic.* cum aliis adminiculis reqviſitis ad acqviſitionem dominii *l. cum res 12. C. de probat.*

(d) Præſertim qvando juſtificatur ex titulo veterum authorum, *Weſenb. Conſ 21 n. 5.*

(e) *Bl in l. 1. in fin. C de fideicomm.* qvem laudat *Weſenb. in par. de acq. rer. dom. n. XI.* aut alterius tituli translativi, ex qvo traditio facta ſit:

(f) Præſcriptione legitimi temporis probatur potisſimum dominium, *Vasq. lib. 2. illuſt. controv. c. 51. num. 16. cum ſeqq.* Hic occurrit iſta qvæſtio, an ex posſesſione qvis præſumatur Dominus? Qvod affirmamus *cum Magnifico Dno. Carpz. p. 2. c. 14 d. 25. n 9. ubi allegat l. 2. C. de probationibus, l. ult. C. de rei-vindicatione.*

(g) idoneam ſcientiæ cauſam allegantibus; item, famâ antiqvâ & publicâ *Weſ. in par. d. a 2. d. n. XI.*

(h) *l. indicia 19. C. de rei vindicatione.* Fructuum perceptione qvomodo dominium probetur, oſtendit *Vasqv. illuſtr. контrov.* lib. 1 c. 57.

XXII. Fi-

XXII.

Finis Dominii in eo consistit, ut rerum propriet constituta dominia certa sint, litium ac contention materia tollatur, ut suo qvisqve tutò & securè uti f possit. (a)

(a) Maximè enim Reipubl. interest, ne dominia rum in incerto sint, *l.1. ff. de usucap.* ne privatorum bona ripiantur; alia plura huc facientia congessit *Bodin. lib.1 de publ. c.2.* & naturalis ratio suadet, ut suum qvisqve tene communitas verò per se ipsa dissidiorum parens sæpius à JC nuncupatur *l. cum pater 77. §. dulcissimis 20. ff. de legatis 2 l. in re communi 26. ff. de servitutibus Urbanorum prædiorum* & ideò ex hâc causâ nemo compellitur detineri in comm nione *l. fin. C. communi dividundo. l. 17. hoc judicium 14. §. si c veniant 2. ff. comm dividund.* Summo igitur jure & mer Platonicam bonorum communionem, qvia multùm à n turâ abludit, improbamus suffulti authoritate Aristote *lib.2. Pol. c.2.* cum natura nil fermè vehementius appet qvam proprietatem rerum, ut qvo magis proprium a qvid sit, eò etiam sit nobis charius.

XXIII.

Effectus qvem Dominium parit diversus est pro d versitate dominii, qvod qvis habet vel plenum (a) vel min plenum.

(a) Totum jus nostrum consistit aut in acqviren aut in conservando, aut deniqve in diminuendo *L. fin. ff LL.* Is certè, qvi plenum habet dominium, (1) usumfr ctum habet qvem vocamus causalem *l. 21. §. 3. de exceptio rei judicatæ* (2) jus possesionis *l. 12. § 1. de acqvir. posse* (3) facultatem alienandi; Nihil enim tàm conveniens naturali æqvitati, qvàm voluntatem dominii volentis re suam in alium transferre ratam haberi *§. per traditione*

40. in

40. *Inst. de rer. divis.* & suæ qvisqve rei moderator & arbiter est *l. in re mandata 21. Cod. mandati*, qvod jus nec pacto sibi adimere potest Dominus *l. nemo 61. ff. de pactis*; ratio est, qvod alienatio qvidam rei fructus sit *l. utitur 38 de usufructu*, qvo debitorem sibi acqvirere potest *l. si pignore 54. §. 1. ff. de furtis*.

(b) Qvi minus plenum dominium habet, is aut habet proprietatem nudam & facultatem alienandi ex directo dominio descendentem; aut naturalem rei possessionem, & usumfructum in re aliena constitutum ex utili dominio; Est enim integrum unicuiqve alium suæ dominationis in re participem facere *l. 12. §. 2. ff. de usufructu*. Insignis insuper dominii effectus est, qvod, sicubi rei nostræ possessio nobis ablata sit, eam vel directâ vel utili vindicatione reciperare qveamus *l. officium 9. l. 23. de rei vindicatione*.

XXIV.

Cognata Dominii sunt: Jus qvod patri concessum in liberos, (a) Marito in uxorem (b) qvasi dominium (c) Huc pertinet etiam jus, qvo ratione interesse ad nos res pertinere dicitur (d) & deniq; Dominium qvod alterius nomine obtinemus. (e)

(a) *l. 1. §. 2. ff. de rei Vindicat. §. interdum 9. Instit. de Obligat.* qvæ ex delicto nascuntur, *tit. C. de patribus qvi filios suos distraxerunt*, qvod familiæ jus dicitur.

(b) *l. pronunciatio 195. §. 2 ff. de V. S.* unde in mariti manu mancipioq; dicitur, aut in ejus, in cujus maritus, manu esse.

(c) Qvod habet qvi ex justo titulo bonæ fidei est possessor *§. namq; 4. Inst. de action.*

(d) *l. Verbum 181. ff. de V. S. l. 9. §. fin. ff. de edendo*, unde

dominus litis dicitur *l. pen. ff. si qvis caut. Jud. sist. l. 9. §.* *ff. de edend.*

(c) Qvo nomine veniunt tutores & curatores fu sorum textus *in lege 56. §. qvi tutelam 4. ff. de furt. l. 157. ff* *regul. Juris.*

XXV.

Contraria sunt, qvibus Dominii jura vel amittun puta, alienatione (a) authoritate Magistratus (b) del (c) morte (d) vel diminuuntur adempta potestate aliena Testamento vel Lege. (e)

(a) Iis modis desinunt esse dominia nostra qv acqviruntur *l. 1. in fin. ff. pro derelicto.* Qvemadmoc enim feræ captæ in venatione, aucupio vel piscatione occupantium: Ita qvando custodiam nostram evadu & in naturalem libertatem se recipiunt, Dominus jus minii amittit prout *ex §. fera 12. Inst. de rer. divis. l 3.* *& l. 5. ff. de acqvir. rer. dom.* apparet. Idem judicane est de aliis modis ex jure Gentium *vid. tit. ff. & Inst. de* *divis. & tit. ff. d. acq. rer. dom.* Sic de J. C. amittu ereptitia *t. C. de his qvibus ut indignis.* Caduca *l. unic* *de cad. toll.* Consolidata *§. pen. & ult. Institut. de usufruc*

(b) à Magistratu etiam qvandoqve dominis re suarum dominium adimitur & in alium transfertur *§. item cum 2. ff. de acq. possess. tot. tit. C. de jure Do* *impetrando. Donellus 5. Comm. 5. Comm. 3. & ibid. Hil* *in notis.*

(c) *Tit. C. de bon. proscriptorum.* deinde ob fac sub pœna privationis bonorum prohibitum *l. pen. &* *C. de rescind. vend.* Similiter ob vitium ingratitudinis natarii *§. 2. 3. Inst. de donat.* Filii emancipati *l. unica C* *ingratis liberis, Nov. 115. c. 2.* & si qvæ sunt similia.

(d) M